



Hierin 7 Safeln.  
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnii, Arnstadt.  
(Thuring.)

1884.

DISSESSATIO INAVGVRALIS ANATOMICO-MEDICA

DE

VRINAE  
SE-ET EXCRETIONE  
OB MVLTITVDINEM  
ARTERIARVM RENALIVM LARGIORE  
CASV QVODAM SINGVLARI ILLVSTRATA.

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS DECRETO

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. FACULTATIS MEDICAE

H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM CAESAR, NAT. CVRIOS. ITEMQVE

IMPERIAL PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET

PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PRO

G R A D V D O C T O R I S

AD DIEM XVIII. IULII A. O. R. 1515 CC LXIII.

I N R E G I A F R I D E R I C I A N A

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

C A R O L V S H E N R I C V S M E V D E R

D R E S D E N S I S .

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.

DISSESSATIO IN VITAM VNGVITRIGI  
28  
VRINAE  
SE ET EXCRETIONE  
DE MULTRITIA  
ARTERIAVM RENALVM TURGORI  
CVTA GUDATU SIBILITATIS

GRATIOSA MEDICINA ORNATA PROLIGO  
AND DIVERSI SOLEMNTATI ET HONORIS  
DOMINO  
D. PHILIPPO ADOLPHO BOTTERO  
MUS ANTI ET CHIRURG. F. I. QVOD A. A. CALATAN  
H. T. DECIVIS ET ALIAS TRADIDIT  
IMPERIALI IMPERATORI ET CIVITATIBVS  
TYPIS ET COPIIS PUBLICIS  
GRADA DOCTORI  
AD DIAVOLI TUTAM ET SECUNDUM  
IN EGO PRINCIPALIA  
PATERIS DEFENDIT  
AGRALES HISTORIAS HEDDES  
CIVITATIBVS ET CIVITATIBVS  
CIVITATIBVS ET CIVITATIBVS

VIR O  
CLARISSIMO. AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO. QVE  
DOMINO  
IOANNI RUDOLPHO  
LOGGEL  
IVRECONSVLTO. MERITISSIMO  
VITRICO. SVO

MAXIMA. MENTIS. PIETATE. AETERVM. DEVENERANDO

VIRO  
CADVCA. MVNERVM. DIGNITATE  
MINVS. QVAM  
PROPRIIS. VIRTVTIBVS  
AETERNITATE M. A D S P I R A N T I B V S  
EXSPLENDESCENTI  
STUDIORVM SVORVM  
AVTORI. TVTORI. NVTRITORI  
BENEFATORI. OPTIMO  
PARENTIS  
DVLCI. NOMINE. DIGNISSIMO  
EXCELLENTI. VITRICORVM. EXEMPLIO  
INNMERA. BENEFICIA  
SPECIMEN. HOCCE. INAVGVRALE  
CVM. VOTO  
ABSOLVTISSIMA E. PROSPERITATIS  
PATERNO. AMORI. VLTERIVS. SESE. COMMENDANS  
SACRVM. ESSE. VOLVIT  
FILIVS. OBREOVIOSISSIMVS.  
CAROLVS. HENRICVS. MEVDER.

Dissertatio Inauguralis Anatomico - Medica  
DE  
**V R I N A E**  
**S E - E T   E X C R E T I O N E**  
**O B   M V L T I T V D I N E M**  
ARTERIARVM RENALIVM LARGIORE  
CASV QVODAM SINGVLARI ILLVSTRATA.

**P R A E F A T I O .**

**A**rteriarum, sanguinem ad loca secretoria deferentium, numerum, sollemni maiorem, largiorum se- et excretionum caussis accensere, adeo est inter Medicos rarum, ut qualcunque huius rei mentionem in monumentis eiusmodi etiam scriptorum temere quaeras, quos nihil praetermissi e praestanti, quo pollut, ingenio notaque eorum subtilitate in

A euol-

euoluendis mutationum, corpori animali accidentium, caussis augurari quemlibet oportet. Editurus itaque specimen inaugurale, argumentum non vulgare pertractans, operaे pretium me facturum arbitratus sum, si, pro virium mearum tenuitate, ostenderem, qua ratione arteriarum, secretioni vrinae destinatarum, multitudo, consuetam excedens, largioris huius liquidi se- et excretionis caussa euadat sufficiens?

Speciale hoc meae tractationis argumentum exponendi ansam mihi suppeditauit notatu digna obseruatio, quam singulari ILLVSTRIS mei pieque colendi PRAECEPTORIS, DOM. Phil. Adolphi BOEHMERI, erga me benevolentiae debo, quamque cum orbe eruditio communicandi optatam mihi VIR ILLVSTRIS, consueto swo de aliis bene merendi studio ductus, veniam concessit, ne fidem suam mihi, tenui equidem scriptori, denegent strenui nimis veritatis indagatores et censores.

Hominis scilicet quinquagenario maioris, plerorici, obesi, largiorem semper vrinae excretionem experti, sani caeteroquin, apoplexia demum mortui

ca-

cadauer anno MDCCCLVI. ad Theatrum, quod Ha-  
lae est, anatomicum deferebatur. Sollicite tunc in  
indiuidui huius corporis structuram, pro ea, qua es-  
se solet, in indagandis Naturae operibus curiositate  
laudabili, inquirens ILLVSTRIS BOEHMERVS, in rene  
dextro quatuor arterias renales, tribus venis rana-  
libus stipatas, in rene vero sinistro amplam venam  
renalem, ex confluxu trium minorum ortam, et ar-  
teriam, notabilem capaciorem ramum, ad inferiorem  
huius renis extremitatem excurrentem, sub itinere  
emittentem a), detexit, svisque demonstravit Audito-  
ribus. Quatuor illarum renis dextri arteriarum  
haec est ratio b): Quaelibet duae maxime sibi vici-  
nae ex trunco aortae descendente oriuntur, omnes  
flexuose dein progrediuntur atque modo vnitae, mo-  
do in ramos antea scissae renis dextri sinuositati di-  
uersimode inseruntur. Diuersae sunt longitudinis  
et diametri, omnium tamen simul sumtarum capaci-  
tas longe arteriae renalis maxime consuetam supe-  
rat capacitatem. Prima ad ortum arteriae mesen-

## A 2

te.

a) Conf. Figur. litt. Q. G. H.

b) Conf. Figur. litt. F. F. F. F.

tericae superioris ab aorta emissâ, supra venam ca-  
uam, venaque et arteria renali sinistri lateris altius  
progreditur, dein descendens ad superiorem scissuræ  
renalis partem repit atque, in duos scissa ramos,  
circa descriptam regionem renis adit substantiam.  
Secunda, minimam diametrum, maximam tamen lon-  
gitudinem nacta, mox sub arteria mesenterica supe-  
riori, vena vero et arteria renali sinistra superius,  
ex aorta nascitur; sub progressu dein et descensu  
venam cauam, venamque primam et secundam renalem  
sui lateris superequitans circa medianam sinuositatis  
renalis partem, in duos antea diuisa ramos, inseri-  
tur. Tertia infra arteriam mesentericam inferio-  
rem originem suam ab aorta sumit; recto ferme tra-  
mite supra venam cauam procedit, paullulum dein ad-  
scendens sub vena renali sui lateris tertia abscondi-  
tur, mox vero, postquam magis adscendit, descendit  
et supra tertiam venam renalem ad inferiorem sinuo-  
sitatis partem renem penetrat nondum diuisa. Quar-  
tae demum ortus non multum ab aortae in iliacas  
diuisione distat; illa dein, minus flexuosa et fere  
breuissima, supra venam cauam ad renem dextrum  
ten-

*tendit eique infra venam renalem tertiam circa pelvum inseritur c).*

*Venae tres, quatuor istarum arteriarum sociae, breuibus adhuc describendae erunt d). In his quoque diuersa diameter, diuersaque longitudo adparent, eaedemque plus minusue flexae ad cauam suum dirigunt iter. Prima e) mox sub arteriae renalis primae insertione incipit, descendens dein paullulum, iterumque ascendens, sub vena renali secunda transit, atque eo in loco cum caua confluit, supra quem in opposito cauae latere huic vena renalis sinistra inferius inseritur. Secunda a media scissurae renis par-*

A 3

te,

c) Anguli etiam, quos cum aorta includunt quatuor istae arteriae renales, diuersi sunt. Duæ superiores sursum acutum, deorsum obtusum, duæ inferiores autem rectum magis efficiunt angulum. Non est tamen, cur huius rei rationem habeamus. Notum enim est, injectiones angulos acutos in rectos, immo obtusos mutare. Vid. *Illustr. de HALLER Elem. Physiol. C. H. Tom. I. p. 82.*

d) Vid. Figur. litt. P. P. P.

e) In definiendo harum venarum ordine ortum earum attendo, non vero modum, quo venae cauae inseruntur. Prius enim et motui sanguinis conuenientius est, et magis cum venarum et arteriarum differentia consistere potest. Vid. *Ill. n. PRAESIDIS Dissert. de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio §. I. n. a).*

*te, circa insertionem nimirum arteriae renalis secundae, sub hac procedit, adscendens dein superequitat primam atque supra hanc in cauam terminatur. Tertia tandem, valde flexuosa, ex infima sinuositatis parte, loco tertiam inter et quartam arteriam renalem medio, egreditur, adscendens dein superequitat arteriam renalem tertiam, atque eo in loco in cauam abit, quem prima vena renalis et spermatica dextra medium quasi relinquunt. Melius haec omnia ex ipsa Figura adiecta perspici poterunt.*

*Rara haec est obseruatio, neque antea, quantum memini, consignata. Scio equidem Naturae lusus, quod renum respicit structuram, haud esse infrequentes f), neque ignoror, vasa renalia arteriosa non raro du-*

f) KERCKRINGII *Spicileg. anatom. Obseru. XLIX.* pag. 105. IDEM  
I.c. renem foetus solito maiorem, vna continuata substantia constan-  
tem, cum binis venis emulgentibus, quarum vna in quatuor, altera in  
duo ramos subdivisa est, ante quam renem ingreditur, descripsit.  
Obseru. L. renem dextrum pueri, qui needum annum viuendo ex-  
pleuerat, delineat, cuius vreter egressus statim folliculi fellis adul-  
torum aequabat molem, post quam sequebatur angustissima coarctatio,  
et hanc rursus excipiebat minor quidem priore multo, sed tamen  
extraordinaria inflatio, atque ita vicissim coarctatus atque inflatus,  
quasi per globulos paullatim minores descendebat vreter. In vetula

sexa-

*duplicia, triplicia, quadruplicia, immo plura reperiri va-  
rio-*

sexagenaria, hydrope abdominis mortua, renem dextrum cum pelui capacissima duplo naturali maiorem, sinistrum autem iusto minorem, qualis esse solet in infantibus recens natis, cum vasis sanguiferis et urinofo ductu angustissimis et coarctatis, inuenit *Illiſtr. BOEHMERVS.* Vid. *Splendidum eivs opus, Obſeru. anat. rarioſ. continens, Fasſic.* II. in *Praef.* pag. VII. *Obſeru.* V. Renem dextrum dupli vretere gaudentem, utroque quaſi duplēcēm conſtituente peluim, duas vero arterias, renem ſinistrum ingredienteſ, in femina quadragenaria, pulmonum labe exſtincta, obſeruauit *Idem VIR ILLYSTRIS. Conf. l. c. Obſ.* VI. Renum inconsuetos ſitus habent *EYSTACHIVS* in *Traſt. de Renum ſtructura, Officio et administratione, BARTHOLINVS Anat. reform.* pag. 112. De unico rene vid. *Histoire de l' Academ. royale des sciences a. 1700. Dom. ROVPART* in puella ſeptem annorum eiusque ſinistro latere neque renem, neque venam, neque arteriam renalem, neque vreterem, neque venam et arteriam ſpermaticam reperit. Ren contra et vreter dextri lateris folleſnem excedebat magnitudinem. Vnum etiam renem inuentum eſſe teſtantur *MORGAGNVS Adverſ. anat.* III. *Animadu.* XXXII. *PETSCHÉ Syll. obſeru. anat. ſelect.* *Volum.* VI. *Disput. anatom. ſelect.* ab *HALLERO* collect. *infert.* §. LXXVIII. *NICOLAI* in *Difſert. de direct. vasor. pro modiſcando ſanguinis circulo Argent.* 1725. habit. et *Tom.* II. *Disput. anat. ſel.* ab *HALLERO* edit. *infert.* coalitum renum adnotat §. XVII. n. y. eundemque innuit *BARTHOLINVS Casp. Fil.* in *Anat. reform.* *Libr.* I. *Cap.* XVII. pag. 112 et adiicit, raro unicum tantum reperi renem, rarius vero tres vel quatuor. Tres obſeruauit *EYSTACHIVS* l. c. Renes, inferius unitos, cum vasis renalibus et vreteribus, illis ſimilibus, quorum delineationem dedit *BARTHOLINVS Cent. 2. Obſeru.* II. adducit *PETSCHÉ* l. c. §. LXXIX. atque duos vreteres, e rene dextro deſcendentēs, paulo tamen ante vesicam coniunctos, obſeruatos eſſe teſtantur *IDEML. c. §.*

LXXX.

rioque saepe modo ab ordinario recedere g), nec fugit  
me etiam, venas renales, arteriis licet minus incon-  
stan-

LXXX. Renem sinistrum triangularem vidit HELMONTIVS, dextro ne  
auellanam aequante. BARTHOLINVS l. c. pag. 113. Hic etiam l. m. c.  
notar, in falacioribus esse maiores renes, eodemque nonnumquam in  
homine quoque adulto inaequalem habere superficiem, licet hoc ra-  
ro et praeternaturaliter accidere sinnūl innuat. Omitto vberiorem  
lusum Naturae circa magnitudinem, figuram, situm, defectum et  
structuram renum atque vrereturum recensionem, quum eorum sat  
vastum catalogum ex Observatorum monumentis facile possit quilibet  
colligere. Conf. tamen BARTHOLINVS l. c. EVSTACHIVS l. c. MORGAGNI  
*Advers. anat. III. Animadu. XXXII. seqq.* Neque vitia renum morbo-  
sa vberius tangam, quorsum etiam egregia *Illustr. BOEHMERI* Obser-  
vatio, quae specialem renum hydropem ostendit, (*Obseru. anat. rar.*  
*Fascicul. II. pag. VI. Obseru. IV.*) referenda venit. Haec enim ni-  
mis longum requirerent sermonem.

g) *Illustr. de HALLER prim. lin. physiol.* §. D CC XLVIII. pag. 490.  
BARTHOLINVS l. c. pag. 117. WINSLOW *Expos. anatom. de la struct. du*  
*Corps hum.* Tom. III. n. 216. pag. 54. Tom. IV. n. 396. pag. 3. NI-  
COLAI l. c. EVSTACHIVS l. c. Cap. XV. HEISTERI *Compend. anatom.* n.  
219. 293. Ludere Naturam er in nulla magis iocari parte, quam in  
vasorum systemate, generatim dixit *Illustr. BOEHMERVS* *Obseruat. anat.*  
*rarior. Fascic. I. Praef.* pag. IX. Refert simul pag. XI. se non solum  
duplicem arteriam renalem in granula, trunca parum a se iniucem distan-  
tibus, ex aorta inferiore egredientem, ac supra siue ante venam emulgen-  
tem, superiorem renis sinistri extremitatem peluimque diniis ramis in-  
gredientem, vidisse, sed etiam in alio eadavere feminino geminas arterias,  
alia prorsus directione ad renem dextrum excurrentes, obseruasse. Pri-  
ma nimurum, ita loquitur VIR ILLVSTRIS, e latere aortae retro venam  
com-

stantes h), saepe tamen ab eo, quod solitum maxime est, aberrare et deflectere i). At talem, qualem notauiimus, Naturae lusum, circa renum vasa tam arteriosa, quam venosa, frequenter deprehendi, iure dubitamus meritoque.

Iam vero ad ea, quae ipsam huius tractationis rationem respiciunt, accedo. Praemisi quasdam de

B

se-et

comparam transuersim procedens, more solito in interuallo renis divisa erat. Altera vero, ante diuisionem aortae in iliacas, infra mesentericam inferiorem emergens, et sursum oblique ad extremitatem praediti renis inferiorem delata, illam perforabat, atque in substantia in ramos reflexos, circularibus cuastomosis cum arcubus ranorum inferiorum prioris arteriae communicabat. Vid. etiam ea, quae ex ILL. VIRI obseruat. not. anteced. adduximus. Duas etiam arterias renales, duorum digitorum interuallo a se inuicem distantes, vidit VERHEYN. Vid. Eius Anat. P. I. Cap. XVI. Laudati in superioribus Autoreis plura de vario arteriarum renalium ortu et directione commemorant. Arterias renales, ex trunco aortae descendente parum supra arterias iliacas ortas, habet EVSTACHIVS Tab. III. Fig. 1. 2. 3. quae multa insimul notabilia, ad copiam vasorum renalium pertinencia, illustrant. NICOLAI l. c. similia refert et addit, singularem esse vasorum renalium distributionem in tali casu, ubi ren dexter et sinistri in unum coaliti comprehenduntur. Sed exstant quoque exempla, arterias renales ex iliaca externa prouenisse. Vid. EVSTACHIVS l. m. c.

h) Illustr. de HALLER l. c. §. DCCXLIX.

i) NICOLAI l. c. §. XXI. not. h. KERCKRINGIVS l. c. Obseru. XLIX.  
BARTHOLINVIS l. c. EVSTACHIVS l. m. c. Confer. etiam not. f. g.

se- et excretione fluidorum propositiones, vt dein eo  
facilius determinare possem, quo modo fieri queat, vt  
arteriarum, loca secretoria adeuntium, multitudo  
largiores efficiat excretiones. Delineauit postea,  
quantum e re mea erat, renum structuram, magnos  
in Anatomia Viros sequutus, atque exinde demum  
vrinae secretionem tam generatim, quam speciatim,  
quatenus nempe ob multitudinem arteriarum rena-  
lium vna cum excretione huius fluidi largior euadit,  
deduxi. Verum nec hic mihi subsistendum esse arbi-  
tratus sum. Largiorem enim vrinae excretionem,  
hinc productam, cum sanitatis et morbi idea compa-  
randam esse putaui, vt liquidum exinde fiat, an ta-  
lis vrinae excretio homini nocuia sit, aut non? an  
illa et quales in corpore queat mutationes produc-  
re? an demum in certis quibusdam morbis ab illa  
noxa metuenda sit, aut salus speranda?

Haec sunt, C. L. quae promitto. Si bene eadem  
exantlauero, his vtere mecum; sin male, vitia com-  
missa virium mearum imbecillitati dabis humaniter-  
que emendabis. Vale et faue!

§. I.

## §. I.

*Sanguis arteriosus secretioni inferuit.*

**A**natome, injectiones, experimenta microscopica, analogia, obseruata demum practica euincunt, quod vasa, quae dicuntur, arteriosa partim in venas rubras, aut tales abeant canales, quorum adeo arctum est lumen, vt ne unicus quidem globulus sanguineus per eosdem reperi naturaliter queat, partim hac ratione esse quasi pertusa, vt eorum parietes modo sanguinem, modo hoc tenuius tantum fluidum dimittere possint, in circumiecta arteriis loca effundendum a). Quum ergo, exploso iam diu ERASISTRATI figmento, in arteriis continetur sanguis, vi cordis, potenter sese contrahentis, arteriarumque valido renisu, late propellendus; hic etiam e partibus tam crassioribus, quam tenuioribus conflatus sit: sequitur, promoto sanguine arterioso, aliam huius liquidi portionem in venas rubras, aliam in circumpositas arteriis partes ita abire et exhalare, vt dein a venis cordi denuo inferatur, aliam denique, relicta cruento, modo in canales, arteriis rubris minores, modo in concomitantia arterias spatia cellulosa protrudi b). Vnde sub motu sanguinis per arterias id etiam impetratur, vt humor, in sanguinis massa contentus, ab ea ita secedat, vt dein a sanguine distinctus existat. Eiusmodi autem

## B 2

fluidi

a) *Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corpor. hum. Tom. I. Libr. I. Sect. IV. Libr. II. Sect. II. §. XXII. seqq.* Omitto alias receptos, parum tamen certos, arteriarum fines. Vid. IDEM l. m. c. §. XXVIII. seqq. Reliqui explorati arteriarum fines commode ad enumeratos in §pho reduci possunt. Transitus arteriarum in ductus excretorios cum earundem in vasa secretoria transitu conuenit. Eiusmodi enim excretoriis ductus vasorum et secretoriorum et excretoriorum funguntur munere.

b) *Illustr. de HALLER l. c. Tom. I. Libr. I. Sect. IV.*

fluidi a sanguine secesso nominatur *secretio*. Ergo arteriae sanguiferae cum sanguine contento secretioni fluidorum in corpore humano inserunt c). Probant id etiam experimenta. Arteria enim, ad locum secretorum tendente, fluido conuenienti a morte repleta, redit *secretio*, quam, eadem ligata, frustra exspectabis d).

### §. II.

#### *Fluidorum secretorum diuersitas huicque caussae generales.*

Non vnius eiusdemque indolis sunt fluida secreta. Alia scilicet *breuiore*, alia *longiore* tempore secernuntur; alia *tardius*, alia *celerius* progrediuntur; alia *largius*, alia *parcius* separantur; alia *puriora*, alia *impura* deprehenduntur. Dantur, quae *aquosa*, *tenuia*, *acria* sunt, sed nec ea desiderari possunt, quae *oleosa*, *pinguis*, *spissa*, *tenacia minusque acria et blanda* dicere oportet e). Secretiones, in corpore humano factae, ab actione partium, illud constituentium, pendent (§. I.). Mutationes vero, hinc oriundae, ex structura partium solidarum diuersaque fluidorum in-

- e) Ex allatis nemo non facile perspiciet, cur venae sanguiferae ad secretionem fluidorum minus aptae sint? Repugnant scilicet venarum indoles et fines; prohibet id etiam motus sanguinis, per easdem transcurrentis, qui fit ex spatio ampio in angustius. Nemo, credo, venam portarum in contrarium adducet. Nimis enim iam est receptum, hanc venam, quatenus secernit, arteriae subire vicem.
- d) Multa eiusmodi experimenta cepit *Celeb.* κααν, recensita in aureo opusculo *de Perspir.* HIPPOCRATI dicta.
- e) Mirae sunt istae, quae fluida inter secreta obtinent, quoad eorum qualitates, differentiac. Nihil iam dicam de istorum fluidorum secretorum, quae multum a se inuicem differunt, diuersis qualitatibus.

indole explicari debent. Ergo in explicanda fluidorum secretorum differentia tam solidas, quam fluidas corporis humani partes, quae fluida secreta mutare possunt, attendere nos oportet. Arteriae sanguiferae vna cum sanguine arterioso secretioni inferunt (§. I.), fluidum porro secretum per secretoria vascula transit (§. cit.) atque vel numquam, vel statim, vel post aliquod demum a secretione tempus excernitur f). Quamobrem exinde colligo, differentiam fluidorum secretorum *vel* a sanguinis, *vel* ab arteriarum, sanguinem aduehentium, *vel* a vasorum secretoriorum, *vel* a ductuum excretoriorum, *vel* a temporis tandem, per quod fluida post secretio- nem in corpore retinentur, diuersitate originem suam sumere.

## B 3

## §. III.

bus: In simillimiſ ſaepe alias qualitates deprehendere licet. Legi ideo meretur elegans immortalis BOERHAAVII *Epifola anatomica*, ad RVYSCIVM missa, de fabrica glandularum in corpore humano, digna BOERHAAVIO, licet MALPIGHII de glandulis defendat errorem. Exstat ea in Tract. qui Hagae Com. 1738. sub titulo: *Herm. BOERHAAVE Opusc. omnia, quae hactenus in lucem prodierunt, ea quidem prius sparſim edita, nunc vero in unum collecta atque digefta, publici iuris faſtus eſt, pag. 67.*

- f) Dari hanc fluidorum secretorum, quoad excretionem, differentiam, nemo facile inficias ibit, qui lenius etiam intelligit Physiogiam. Lympa v. g. numquam excernitur; materia, quae perspirationis nomine e corpore pellitur, statim post sui secretionem eliminatur; bilis denique aliqua fluida nonnulla secreta non nisi post aliquod demum a secretione tempus expelluntur, adseruatis ſaepe iisdem tamdiu in peculiari quodam receptaculo. Dantur alia, de quibus an excernantur? certo non conſtat, vt fluidum nerueum; ſunt adhuc, quae nonnumquam in corpore manent, nonnumquam vero excer- nuntur, ſalinae exemplo.

## §. III.

*Copia sanguinis, ad loca secretoria delati, fluida secreta diuersa reddit.*

Sanguis fluidum est corporis humani, motu gauidens. In eiusmodi autem fluido considerando praeter copiam, qualitatem et motum cogitare nil poteris. Quodsi itaque fluidorum secretorum differentia (§. II.) a sanguinis, secretioni inservientis, diuersa indole pendet; vel copia, vel qualitas, vel motus sanguinis eadem inducit. Quod iam, quantum hic necesse est, vltius erit inquirendum. Concipe ergo primo duo loca secretoria in corpore humano, in quibus vnum idemque secernatur fluidum, hac tamen lege, vt, reliquis circumstantiis manentibus, intra datum certum temporis interuallum ad eorundem vnum maior, quam ad alterum sanguinis deferatur quantitas g), simulque secretioni impendatur h). Quoniam quae-

g) Obtinet haec conditio in corpore humano. Saliua v. g. mucus, adeps &c. in variis partibus secernuntur atque ita, vt ad vnam earum maior, quam ad alteram, deferatur sanguinis quantitas. Cutanea quoque secretio exemplo esse potest. Possimus enim hic totam cutim seu integrum corporis peripheriam cum eius parte comparare, tuneque patet, sanguinis copiam, ad illam delatam, maiorem esse ea, quae vni tantum eius parti infertur. Quid? quod, quum sudoris materia cum vrina proxime conueniat, diuersa sanguinis quantitas, ad cutim externam et renes allata, easdem, propositas in §pho, conditiones illustrabit.

h) Ex sola sanguinis, ad locum secretorum delati, copia maiori, non statim potest tuto colligi, quod fluidum quoque a sanguine maiori in quantitate et celerius secerni debeat. Qualitas sanguinis, strutura loci secretorii, immo ipsa sanguinis copia resistere possunt. Atque fieri hinc omnino potest, vt in eo loco, ad quem parcior sanguinis copia vehitur, largior et celerior contingat secretio.

quaelibet sanguinis arteriosi adpulsi particula ad secretionem fluidi alterius naturae apta est (§. I.); opus est omnino, ut in eo loco secretorio, ad quem intra certum temporis spatum sanguis copiosius non adfluit tantum, sed et secretioni impenditur, maior etiam et celerior sanguinis secretio perficiatur, quam ea in parte secretoria, ad quam parcior sanguinis copia vehitur, aut parcius secretioni impenditur. Diversa adeoque sanguinis, secretioni destinati, copia, ad loca secretoria promota, efficiet in hoc casu, ut fluidum modo maiori, modo minori in quantitate, modo celerius, modo tardius a sanguine separetur i).

## §. IV.

Qualitas sanguinis differentiam fluidorum secretorum inducit.

Mixtorum qualitates, ex eorum mixtione deducendae, pro huius ratione a se inuicem discrepant. Sanguis generatim equidem ex aqueis, salinis, oleosis et terreis componitur partibus, ita vero id sit, ut harum particularum in variis corporis humani locis, quae sanguis inundat, non copia tantum et ratio, sed qualitates quoque diversae sint k). Qualitates itaque sanguinis, ad loca secretoria pulsi, a se inuicem differunt. Quoniam nunc sanguis fluidorum secretorum fons est (§. I.): tales tantum queunt fluidis secretis ineffe particulae, quales in ipso sanguine deprehendere licet. Quodsi ergo in sanguine, loco secretorio illato, certae qua-

i) Accidit inde, ut a motu corporis progressu et post spasnum febrem secretiones in cure augentur. Differui in hoc §pho de copia fluidorum secretorum maiore, a maiore adpulsi sanguinis quantitate pendente, eatenus tantum, quatenus quae comparantur fluida eadem sunt, non diversa. Diversorum fluidorum secretorum hac in re comparationem omisi, quoniam ea partim non levibus premitur difficultibus, partim minus etiam cum proposito meo consentit.

k) *Illustr. de HALLER J. c. Libr. VII. Sect. III. §. II. pag. 43.*

dam particulae abundant, quodsi organon secretionis ita instructum est, ut particulae illae commode a sanguine separari possint *l*); nullum est dubium, quin eadem debeat in fluido secreto adesse copiosiores. Qualitates ea propter sanguinis, secretionibus destinandi, diuersae fluidorum secretorum efficient differentiam *m*).

## §. V.

*Idem de motu sanguinis ostenditur.*

Motus adhuc sanguinis, ut caufsa differentiae, fluida secreta intercedentis (§. III), breuibus erit considerandus. Quoniam scilicet sanguis, quo secretio perficitur, moueri debet (§. I), qualitates praeterea huius fluidi, vna cum copia, pro diuersitate motus variant *n*), immo sanguinis ipsius motus magnam in dilatanda vasorum secretorum diametro et ingressum separandi fluidi in vas secretorum facilitando habet potentiam *o*), motus denique sanguinis in corpore humano reperitur valdopere diuersus *p*): inde iam generatim perspicitur, cur fluida secreta ob diuersum sanguinis motum inter se imicem differant (§§. II. III. IV.)? Hinc motus sanguinis celer generatim auetam humoris secretionem et copiam, impuritatem, fluiditatem et celeriorem motum efficit, tardus contra ea minuit co-

piam

*l*) Licet enim particulae quaedam ad loca secretoria adducantur, eae tamen, praefente obstaculo, ad vasa secretoria non transeunt, cerebri exemplo.

*m*) *Illiſtr. de HALLER* l. m. c.

*n*) *Illiſtr. de HALLER* l. c. pag. 418. seqq.

*o*) Motus enim sanguinis maior facilis, minor difficilis vasa secreta, caeteris paribus, dilatat. Vnde diuersitas secretionum. *Illiſtr. de HALLER* l. c.

*p*) *IDEM* l. saepe cit.

piam humoris secreti, huncque purum magisque viscidum et tardum redit q).

## §. VI.

q) Motus sanguinis celer impedit attractionem particularum, sanguinem constituentium; impedit itaque visciditatem, hincque efficit, vt a sanguine *temia* magis secernantur fluida. Quum etiam fluida tenuia in vasa secretoria facilius, quam viscida, transcant, illaque minus istorum vasorum actioni resistant, quam haec: motus sanguinis celer, quoniam tenuitati fluidorum secretorum fauet, *celeriorem* etiam fluidorum secretorum inducit motum. Ergo idem motus sanguinis impedit quoque, quo minus antecedens secreti humoris vnda subsequenti valde renitur; quam ob rem *largior* euadit secrecio, si eiusmodi motu agitatur secretioni destinata massa sanguinea. Quoniam denique celer sanguinis motus vasa secretoria facile distendit, vt diximus not. p.: humores secreti *impuri* magis inde deprehenduntur. Tardus sanguinis motus, celeriori oppositus, oppositas habebit determinationes. Dicta haec tenus vera sunt, rite modo intelligantur. Memores hic esse praecepue nos oportet, motum sanguinis varium non vnicam esse secretorum fluidorum diuersitatis causam, cauendumque est, ne putemus, allegas motus diuersitates tam sufficietes esse inde deductae fluidorum secretorum differentiae causas, vt nullibi vniquam illarum effectus, hinc deriuati, in corpore humano impedianter. Tardus sanguinis motus omnino viscidos reddit humores, bilis, semen, muci exemplo; celer contra ea tenuibus fauet, sudore id restante. Attramen in cerebro tenuissimum abque omni viscositate remotissimum secernitur fluidum a sanguine, quem hie tardissime promoueri multa suadent, licet etiam deficientis tunicae muscularis in arteriis, ad cerebrum tendentibus, ob celebrium Virorum quorundam auctoritatem habere rationem nolis. Neque etiam absque exemplo est, celerem sanguinis motum viscido humoris secernendo inferire, halituosi illius humoris exemplo, qui in cavitatibus reperitur et ab arteriis immediate

## §. VI.

*Diversitas fluidorum secretorum ob arteriarum diuersitatem.*

Diximus (§§. III. IV. V), qua ratione fiat, ut copia, qualitas et motus sanguinis, ad secernendum allati, differentiam humores inter secretos efficiant. Quod ergo caussatur, ut istae sanguinis determinations diuersae reddantur, id ipsum erit simul caussa fluidorum secretorum

diuer-  
sitate secernitur, cuiusque viscositatem satis ex eo augurari licet,  
quod partes, naturaliter separatas, quasi conglutinet, vt id praeci-  
pue de pulmonibus valet et membrana, costas succingente. Porro  
motus sanguinis tardus puritatem humoribus secretis conciliat ob  
multas rationes (*Illuslr. de HALLER l. c. p. 420 seq.*). Sed tarde pro-  
mouet medium arteriam inter et venam tenentis venae portarum  
sanguis. Bilis nihilo minus inde orta impurum est et heterogenum  
fluidum. Motus celer impuros reddit humores secretos; blanda ta-  
men est aqua cauitatum, quam modo diximus, celerius licet secer-  
natur. Tardus sanguinis motus tardiorum equidem efficit motum  
humorum secretorum, vt in bile; fluidum tamen subtilissimum, in  
cerebro secretum, celeri videtur motu gaudere. Neque celer etiam  
motus tardum fluidorum secretorum motum impedire semper por-  
est. Quis enim non vider, quod vasorum secretiorum structura,  
situs, directio, aliaque celeritatem, a sanguinis motu induxit, de-  
fluere valeant, plane eodem modo, vt in pulmonibus tardus san-  
guinis deprehenditur motus, licet maxima cordis vicinitas et sanguis  
non ita spissus celerrimum suaderent sanguinis, per istud viscus tran-  
seuntis, motum. Quod tandem copiam humoris secreti attinet:  
ea quidem a tardiori sanguinis motu minor, a celeriori vero maior  
et auctior redditur. Hic tamen eo simul erit adiumentum, vt vo-  
cem celeritatis rite interpretetur. Fluidorum secreto necessariam  
quandam et determinatam sibi vindicat tarditatem sanguinis, motus  
enim sanguinis nimis celer secretionem impedit, vt inter alia sub ca-  
lore

diuersitatis. Quodsi iam arterias, sanguinem aduchentes, consideraueris: facile tum patebit, copiam earum, diametrum et capacitatem, robur, loca, angulos, sub quo e trunco prodeunt, ramos, flexiones et anastomoses valde differre <sup>r)</sup>. Quodsi haec praeterea cum legibus motus et sanguinis indole contuleris: motum etiam, copiam qualitatemque sanguinis inde diuersa reddi perspicies <sup>s)</sup>. Ergo arteriae sanguiferae, sangu-

C 2  
nem

lore febrili pater. Tarditas haec modo maior, modo minor esse debet, idque pro differentia fluidorum secernendorum. Si ergo adfirmamus, celeriorem sanguinis motum auctiorem reddere fluidorum secretorum copiam; id ita erit accipendum, ut necessaria haec et cuiuscunque fluido secreto conueniens tarditas, vna cum reliquis circumstantiis, ad eius secretionem necessarii, non excludatur. Atque ita intelligenda erit propositio, qua adfirmatur, secretionem fluidi cuiusdam eo esse expeditiorem, quo promptius ad locum secretorum adfluit sanguis. Miror itaque, *Clar. NICOLAI* eandem in dubium vocasse i. c. §. XVII. not. n.

<sup>r)</sup> *Illiustr. de HALLER* l. c. Tom. I. Libr. I. Sect. I. §. XIV. seqq.

<sup>s)</sup> Quo maior est vasorum, ad locum quendam secretorum tendentium, *copia*: eo maior est sanguinis, caeteris paribus, quantitas, quam loco secretorio inferunt vasa, eoque celerius fluidum separandum secernitur. Quo *capacius* porro est vas, secretioni destinatum, eo maiorem sanguinis in se continet quantitatem, eoque maior est sanguinis parti secretoriae illata copia. Copia itaque, diameter et capacitas arteriarum copiam sanguinis huiusque motum mutant. *Robur* arteriarum ex earum resistentia, quam erga fluidum impulsum exserunt, dimetimur. Vasa ergo arteriosa robusta plus resistent sanguini, vi cordis acto. Sanguis itaque, ad eiusmodi vasa dilatanda, vim debet maiorem adplicare. Vi vera sanguinis, arterias dilatanti, harum respondet reactio. Vnde patet, vasa arteriosa robusta aliis validius in sanguinem reagere. Reactio autem arteriarum

in

nem ad loca secretoria deferentes, differentiam fluida inter secreta producunt (§§. citt.) t).

## §. VII.

in sanguinem inter caussas, sanguinis motum determinantes, referri debet. Validiorem ea propter arteriarum in sanguinem reactionem, validior subsequi debet sanguinis motus. Motus sanguinis particulas, e quibus constat massa sanguinea, disiungit. Maior ergo sanguinis motus, magis etiam massam illam resoluet. Quamobrem robur arteriarum et motum, et qualitatem sanguinis mutat. *Loca* etiam, quae adeunt arteriae, hue pertinent. Arteria ascendens volatiles et subtiliores, descendens crassiores magis et grauiores sanguinis continebit partes. Vas arteriosum, a corde remotius situm, minorem sanguinis experietur actionem; minus ergo reaget, motusque sanguinis inde languescit. In eo vero, quod cordi propinquius est, omnia contrario modo sese habebunt. Nonne ergo arteriarum loca motum qualitatemque sanguinis mutant? Iam *anguli*, sub quibus arteriae e trunco prodeunt, sequuntur. Sub motu sanguinis duplum concipere possumus vim, quae sanguinem ad diuersa impellit loca. Prima est vis cordis arteriarumque, quae sanguinem versus longitudinem arteriae protrudit. Altera est nifus sanguinis versus latera arteriae, quam sanguis cum omni fluido, per tubum transeunte, habet communem. Sequitur ex his, sanguinem in ramum, ad angulum acutum a trunco oriundum, facile, in eum vero, qui cum trunco rectum et obtusum includit, difficilis et difficillime transire. Patet id ex legibus motus compositi. Non video ergo, quam ob caussam nonnulli affirmare queant, ramos arteriarum, ad rectos angulos natos, promptius suscipere sanguinem? Dicunt equidem, motum per arterias sanguinem, versus latera earum pressionem exercere, quumque actio omnis ad perpendicularium fiat, sanguinem ideo in eiusmodi ramos eo facilius transire. Verum non attendunt boni isti Viri vim cordis, pressioni contrario agentem, et hac longe validiorem; non cogitant, Deum ita arterias struxisse, ut omnes ferme rami

## §. VII.

*Diuersa vasorum secretoriorum ratio differentiae fluidorum se-  
cretorum fauet.*

Secretio peragi nequit, nisi secretoria vascula, aut, qui eorum locum supplent, poruli adfuerint, quibus scilicet fluidum, sanguine tenuius, recipitur (§. I.). Verum poruli isti vasaque secretoria differunt

C 3

in-

rami ad maiores minoresue angulos acutos a trunco arterioso emitantur. Nonne Deus ipse expedito sanguinis per arterias motui validum posuissest obicem, si vera esset horum Virorum proleta theoria? Sed mittimus haec, atque ex allatis concludimus, angulos, quos cum suo trunco efficiunt rami, motum sanguinis & quae inde pendunt mutare. Nunc vero rami ipsi considerandi sunt. Quo plures ex uno trunco nascuntur rami, eo magis ratio luminis omnium ramorum simul sumtorum ad lumen trunci increscit, eoque tardior euadit sanguinis, per ramos vehendī, motus. Hinc rami etiam mutant sanguinis motum. *Flexio arteriae impedit, quo minus sanguis expedite per arteriam vehi queat, perit nimirum pars eius vis, qua propellitur sanguis.* Nonne itaque inde a flexionibus arteriarum sanguinis laugescit motus? Inter arteriarum *angiomates* eae earum species praecipue hic notandae veniunt, *quaerita* dicuntur, quibusque omnia ferme in secernendis fluidis tribuerunt multi. Conueniunt retia generatiū cum flexionibus arteriarum, recteque ideo adfirmavit *Illustr. de HALLER*, eadem sanguinis motum retardare &, ob adfractum, sanguinem reddere tenuorem. Possunt ergo omnino quidquam ad secretionum diuersitatem conferre (§§. IV. V.). Et quamquam *Illustr. de HALLER* iisdem non multum hac in re tribuit, concedit tamen, ea sanguinem ad fluidorum secretionem praeparare. Verum hoc ipsum illud est, quod asserimus.

t) *Illustr. de HALLER* l. c. Tom. II. Libr. VII. Sest. III. §. VI. seq.

inter se ratione amplitudinis, densitatis, flexionis, copiae et anguli, sub quo efferuntur *u*), haecque differentia non poterit non diuersitatem fluidorum secretorum producere *v*). Vnde constat, diuersa haec vasorum et porolorum secretorum attributa isti, quam diximus (*§. II*), fluidorum secretorum diuersitati favere *w*).

### §. VIII.

#### *Mutatio fluidorum secretorum.*

Quodsi ergo inciderit, ut sanguinis (§§. III. IV. V.), arteriarum (*§. VI*), vasorumque secretorum (*§. VII*), determinationes in loco quodam

*u) Illustr. de HALLER l. c. §. VIII. seqq.*

*v) Vix indiget vberiore demonstratione haec propositio, quum fere ex iis iam constet, quae not. *s*. adduximus. Pauca tantum adiiciam. Densitas scilicet & amplitudo vasorum secretorum diuersa efficit, ut aliae particulae admittantur, aliae excludantur. Flexio motum minuit, fluidum tamen secretum tenuius reddit. Copia vasorum secretorum copiam fluidi seceri eiusque motum, caeteris paribus, maiorem & celeriorem inducit. Anguli demum modo celeriorem, modo tardiorum efficiunt fluidi seceri motum, & forsitan etiam nonnumquam, aliis causis accedentibus, tenuitatem illius promouent.*

*w) Illustr. de HALLER l. m. c. Restaret adhuc morae fluidorum secretorum in corpore humano, ductuumque excretorum consideratio. Diversitatem fluidorum secretorum inde provenire, egregie probavit *Illustr. de HALLER l. c. & Petr. RIDEVX in Conspectu Physiolog. mechan. secretionum in genere Collectionis Halleriana Disput. anat. select. Tom. II. inserto.* Non vero iisdem immoror, cum ulterius demonstrata parum mihi utilitatis adferrent.*

dam secretorio mutentur: necesse tum est, vt fluidum etiam secretum  
inde mutetur (§§. citt.) x).

## §. IX,

*Dicta ad exemplum adplicantur.*

Iubent, quae inferius dicenda sunt, vt in antecedentibus allata  
ad speciale adplicantur casum, cuius in corpore humano existentiam  
subsequentia illustrabunt. Pone nimurum ramum quendam satis capacem  
ita a trunco aortae descendente, non multum a corde distante, exoriri,  
vt cum aorta angulum efficiat acutum, dein flexuosos, cincinnatos, val-  
deque tenues cito formet ramos, tandem vero in rectissimos, exiguos et  
densos ductus secretorios mutetur: dico, ab eiusmodi arteria fluidum  
quoddam aquosum, salinum, terra paucoque oleo impregnatum et ce-  
leriter, et copiose secerni debere. Quum enim ductus secretorii vasa  
sint, sanguiferis minora: sequitur inde, omnem arteriam, quae in eius-  
modi ductus abit, secernere fluidum debere. Ergo primo constat, in  
proposito casu secretionem fluidi cuiusdam necessariam esse. Quum  
dein vero descriptus aortae ramus non solum magnam sanguinis co-  
piam (§. VI), sed sanguinem quoque aquosum magis et salibus scaten-  
tem contineat y), rami etiam cincinnati valdeque exigui, ex eadem arte-  
ria

x) Pater id ex statu praecipue morboso. Confer. *Illusfr. de HALLER I. c.*  
*Tom. I. Sect. I. Libr. II. §. XXIII. seqq.*

y) Chylus enim, ab intestinis resorptus, cito ad cor defertur; inque  
aortam demum a corde eiaculatur. Chylus abundat particulis aquo-  
fis & salinis, eiusque partes magis volatiles praecipuis ad cerebrum  
propelluntur. Maxima itaque particularum chyli grauiorum,  
quorsum etiam saline & aquosae pertinent, quantitas per trun-  
cum aortae descendenter ad inferiora propellitur. Ramus ergo ab  
aorta

ria sat cito oriundi, aquosum humoris separationi fauant (*§. cit. not. s.*)*z*); ductus quoque secretorii recti, densi et tenues tenuem magis humorem, conseruata eius celeritate, recipient (*§. VII. not. v.*); motus praeterea sanguinis in eodem aortae ramo, ob cordis vicinitatem truncique descendens, validus esse debeat (*§. VI. not. s.*), eiusque in cincinnis adeptam tarditatem (*§. VII. not. v.*) fluidi tenuitas corrigat (*§. V. not. q.*), atque recti ductus secretorii fluidi celeritatem conseruent (*§. VII. not. v.*); humor denique aquosus corporis humani non salibus tantum, sed et terra paucisque oleo refertus sit, sero id testante: colligimus ex his omnibus, in proposito a nobis casu necesse esse, ut fluidum aquosum, salinum, terra, paucisque oleo impregnatum, secernatur, eademque secreto et celeris sit et copiosa.

## §. X.

*Largior huius fluidi (§. ant.) secretio a copia vasorum maiori.*

Fac vero, loco unius arteriae (*§. ant.*), plures e trunco aortae descendente, reliquis manentibus, ita prodire, ut capacitas earum illius

su-

aorta descendente, non multum a corde distante, emissus, particulis salinis & aquosis refertus erit. Ipsa dein resolutio sanguinis sub motu semper contingens, aqueas particulas libiores reddere valet, quae dein, cordi infusae, ob easdem caussas cum salinis, ab aqua facile soluendis, descendunt.

- z)* Verum equidem est, quod flexiones & cincinni, ob motus lentorem, viscositati etiam fauant (*§. V. not. q.* & *§. VI.*), multaque in corpore humano exempla idem confirmant. Ut vero effectus iste inde imperretur, necessario requiritur, ut qualitas sanguinis (*§. IV.*) cum eodem conspiret. Sanguis aquosus condensationem vix admittit. Ergo in allato casu potius resolutio, quam condensatio a cincinphis perfici debet.

supereret capacitatem: necesse tum erit, ut largior seu copiosior eiusdem fluidi contingat secretio (§. III) aa).

## §. XI.

*Largior eiusdem fluidi excretio inde producta.*

Doceri in Physiologia deber, fluida secreta aquosa, multo sale referta, fluida esse excrementitia. Fluidum ergo secretum, cuius mentionem §. IX. iniecumus, erit excrementitium, atque ideo e corpore eliminari deber. Verum fluidi cuiusdam secreti eliminandi excretio, eius secretioni, caeteris paribus, erit proportionata, prouti iterum ex Physiologia perspicitur. Ergo in casu §phi anteced. largior eiusdem fluidi debet excretio contingere et comparere,

## §. XII.

*Renum descriptio, membranae et vasa eorum in- et egredientia.*

Haec vero nunc ad renes applicanda sunt. Sunt vero *renes* viscera duo, rubicunda, phaseoli figuram satis exacte referentia, exterius conuxa, interius concava, circa ultimas duas costas spurias vtrinque ita sita, ut septo transuerso muscularisque psoae et quadrato incumbant, dexter tamen sinistro et humilior frequenter sit, & ad posteriora remo-

D

tior

aa) Regeri quidem posset, motum sanguinis retardari, quando, loco vnius arteriae, plures minores adsunt, atque hinc ex sola copia vasorum tuto colligi non posse, secretionem inde augeri debere. Verum vicinitas cordis validusque sanguinis motus in trunco aortae descendente, ex quo nasci supponuntur rami, secretioni destinati, impediunt, quo minus motus in iisdem valde & notabiliter immuniatur.

tior *bb*). Duplici gaudent membrana, *adscititia* nempe, laxa, adipe repleta, & *propria*, tenui, arête adhaerente *cc*). Vasa, quae renes nacti sunt, lymphatica sunt, nervi, sanguifera denique, arteriae nempe et venae *dd*). Arteriae duae, dextra et sinistra, satis ampliae, immediate sub arteria mesenterica superiore ex aortae trunco descendente ad angulum acutum, licet paullo maiorem, oriuntur, atque ordinario vnitae et integræ, attamen saepe quoque in medio ductu in ramos duos, tres, quatuor & plures diuisae, via fere horizontali cauum renum seu eorum scissuram ingrediuntur *ee*). Nominantur ideo *renales*, minus bene *ff*)

vero

*bb) Illustr. de HALLER prim. lin. Physiol.* §. DCCXXXVII. EVSTACHIVS  
1. c. WINSLOW 1. c. Tom. IV. n. 391. seqq. BARTHOLINVS 1. c. HEISTERVS 1. c. n. 219. Figuram renum fusius descripsit *Illustr. de HALLER* 1. c. his verbis: *Figura exterius conuexa, facies utraque compressa est, semielliptica, interius concava, inaequaliter divisa, in superiori crassius extrellum, & longum, planum & gracilem inferiorem finem.* IDEM codem loco partes, quibuscum connexi sunt renes, annotat, cuius rei vberiore mentionem iure hic omitto. Vid. etiam EVSTACHIVS 1. c.

*cc) Illustr. de HALLER 1. c. HEISTERVS 1. c.*

*dd) In renibus quidem adhuc sunt vasa, irrinifera dicta. Haec vero se-re nil sunt, nisi continuatae arteriae. conf. §. sequ.*

*ee) Illustr. de HALLER 1. c. §. DCCXXXVIII. WINSLOW 1. c. Tom. III. n. 214. seqq. EVSTACHIVS 1. c. Cap. XV. seqq. Quando dicimus, arterias renales vnitæ saepe ad cauum rénis tendere, hoc non ita interpretandum est; ac si nullus plane ramus prius ordinario ab arteriis istis emitteretur, antequam cauum renum ingressæ sint. Falsum enim hoc esset, cum ab arteriis renalibus capsulæ arteriae infimæ originem suam sumant. Verum id volumus, arterias renales ordinario sub itinere ad renes nullos ramos, ad renes excurrentes, emittere, sed tum demum diuidi, quando cauum renum ingressæ sunt. Conf. EVSTACHIVS 1. c. Cap. XVII.*

vero ab aliis dicuntur *emulgentes*. Arteria renalis dextra, longior sinistra et anterior, sub vena cava et vena renali alterius lateris repens, ad dextrum abit renem. Sinistra contra, breuior et posterior, primo sub vena socia, dein ante eam progrederitur suique lateris reni modo descripto inseritur. Ambae vero capsulares, seu atrabilarias arterias infimas et adiposas atque, testante *Illustr. de HALLER*, non valde raro spermaticas arterias producunt gg). Venae sanguiferae renales duae ampliae

D 2

sunt,

ff) WINSLOW I. c. Tom. IV. n. 396.

gg) WINSLOW I. c. Tom. IV. n. 320. *Illustr. de HALLER* I. c. Paret nunc ex consueta hac maximeque ordinaria arteriarum renalium constitutione, quibusnam ex caussis ea harum arteriarum indeoles, quam in subiecto, quod in Praefatione descripsimus, detexit *Illustr. BOEHMERVS*, ab ordinaria recedens maxime dicenda sit? Primo enim numerus harum arteriarum & capacitas a naturali deflectunt in rene dextro, loco enim vnius arteriae quatuor adsunt (Fig. litt. F F F F.), ordinariam arteriam renalem superantes. Secundo ortus earundem minus est consuetus. Licet enim arteria renalis secunda immediate sub arteria mesenterica superiore (Fig. litt. E) oriatur, reliquae tamen mox supra, mox infra consuorum locum originis suae, infra mesentericam arteriam inferiorem nempe (Fig. litt. e), producuntur. Tertio directio & progressus harum arteriarum minus cum eo, quod solitum maxime est, consentit. Ordinario enim arteria renalis dextra sub vena cava & vena renali alterius lateris repit, vt in spho iam notauiimus. In nostro vero casu mox supra, mox infra consuetum locum progrediuntur, vt ex allatis & Figura elucescit. Quarto longitud etiam diuisio & flexuositas harum arteriarum attentionem merentur. Iniectiones quidem flexiones arteriarum non possunt non mutare; sed minuant easdem, non augent, testante *Illystr. de HALLER*. Flexuositatem itaque, quam hic deprehendimus, in iniectiones reiicere non licet. Tandem quinto arteria renalis si-

nistra

sunt, maxime sinistra *hh*), cumque vena caua, quam, renibus egressae, subeunt, angulum acutum efficiunt. Dextra vena renalis saepe absque ramo, breuis, recondita, paullulum oblique descendens, non tamen sinistra semper inferior reperitur. Sinistra longior est et capacior, recipit ordinario venam spermaticam sinistram, capsularem & plerumque venae sine pari ultimam sui lateris propaginem, demumque transuersim supra aortae truncum, immediate sub arteria mesenterica superiore, ad cauam tendit eamque ingreditur. Ambae praeterea circa sinuositatem e renibus prodeunt, cumque arteriis suis respectu divisionum conueniunt *ii*).

Lym-

nistra sub medio ductu, praeter consuetum ramum (Fig. litt. I.), notabilem quendam capaciorem alium (Fig. litt. H.) emitit, qui quasi anchora quadam iacta in renis sinistri inferiorem extremitatem inseritur (EVSTACHIVS l. c. Cap. XVII.). Quod vero generatim alias minus consuetas arteriarum renalium constitutiones attinet, de iisdem quaedam in Praefatione iam adduximus, quae lectione Observacionum anatomiarum in immensum facile augeri possunt. Quae autem praeter renales ad renes diriguntur arteriae, eae potius pinguedinii, quam renibus inseruntur. *Illustr. de HALLER l. c.*

*hh) Illustr. de HALLER l. c. §. DCCXXXIX.* Scimus, venam capacem & longam aequali tempore sanguinis quantitatem ei aequalem reuehere posse, quam eodem tempore vena brevior, sed minus capax reducit. Si ergo sinistra vena renalis longior quidem, sed simul capacior est dextra: minus sane certa haec tenus eorum haud incelebrium Virorum mihi videtur hypothesis, qui calculorum in rene sinistro maiorem frequentiam a sola venae renalis sinistrae maiore longitudine deducunt. Capacitatis simul rationem habere nos oportet.

*ii) Illustr. de HALLER l. c. WINSLOW l. c. Traité des Veines n. 150. seqq. EVSTACHIVS l. c. Cap. XV. seqq. Illustr. de HALLER Elem. Physiol. Corpor. hum. Tom. III. Libr. VIII. Sect. I. §. XLV. pag. 107. seqq. Conf. etiam hic Fig. litt. A. B. Q. R. S. & Tab. LANCISH Epist. de*

*Vena*

Lymphatica demum, quae renes natii sunt, vasa *kk*) ampla sunt, nerui vero multi et parui *ll*).

### §. XIII.

#### *Interior rerum structura.*

Interiorem rerum structuram simplicem iam dixit *Illusfr. de HALLER mm*). Ab aliis duplex, ab aliis triplex iisdem assignatur substantia, *corticalis* nimirum, *tubulosa* et *papillaris*, ut tamen simul innuant, papillarem nil esse nisi substantiae tubulosae; seu medullaris continuatio-

D 3 nem

*Vena sine pari*, ad MORGAGNVM datae, adiecta. *Illusfr. BOEHMERI Diff. de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio*. Hal. 1763. quae praeter rarissimam illam obseruationem, quam titulus promittit, aliam rarissimam, de vena azyga dupli nempe, continet, multaque plura de hac vena refert. Caeterum ex naturali hac venarum renalium descriptione itidem patet, quid insoliti sit in venis dextri-lateris renalibus, quas Tabula repræsentat. Quum vero haec ex ipsis principiis facile intelligantur: superuacaneum esse duco, plura de iisdem differere.

*kk*) *Illusfr. de HALLER prim. lin. Physiolog.* §. DCCXXXVIII. Consernit *Illusfr. BOEHMERVS Obseruat. anatom. ravior. Fasc. I. Praefat.* pag. XV. ita differens: *Alio quoque modo vasa rerum lymphatica conspicua reddimus; vena nimirum ligata, arteriam emulgentem inflando. In ultimo suscepto tentamine flatus arteriae renalis innifissus venam extendebat vasque minima pellucida, copiose in superficie anteriore serpentino excurrentia trastu, replebat: per venam vero ureterem, ac per ureterem venam, absque distensione arteriarum vasorumque lymphaticorum ingrediebatur.*

*ll*) *Illusfr. de HALLER l. c. §. DCCL.*

*mm*) *l. c. §. DCCLII.*

nem *nn*). Hanc substantiae renum diuersitatem diuersae vasorum sanguiferorum renalium affectiones efficere videntur *oo*). Arteriae enim renales (§. XII.), cellulosa m vaginam adeptae, renum ingrediuntur sinuositatem. Emitunt hic ramos, quaquaversum in renibus dispersos, valde exiguos *pp*), serpentinos, flexuosos et cincinnatos, qui corpora illa rotunda,

pa-

*nn*) WINSLOW l. c. *Traité du Bas-Ventre* n. 408. ita loquitur: *On peut distinguer trois sortes de substances dans le Rein; une extérieure, épaisse, grenue, & comme Corticale; une moyenne ou plus interne, & comme Medullaire, qui est rayonnée & qu'on appelle Cannelée, Sillonnée ou Tubuleuse, parce qu'elle paroît composée de petits Tubes où Tuyaux en manière de Rayons. La troisième, qui n'est que la continuation de la seconde, se termine en dedans par de Mammelous, d'où je lui ai donné le nom de Mammelonnée.* Tres has stabilitas renum substantiae species pulcre *IDEM* in sequentibus numeris describit, notatque n. 412: *Medullarem substantiam arcubus arteriosis & venosis a corticali distinguiri.* Plurimi duas tantum statuunt renum substantiae species, corticalem nimirum & tubulosam. Vid. EVSTACHIVS l. c. HEISTERVS l. c. Nihil, si quid ego iudicare possum, refert, an duae, aut tres species assumantur? Notetur modo, papillas nonnumquam abesse. Vid. HEISTERVS l. c.

*oo*) *Injectiones anatomicas corticalem substantiam renum inflammatam quasi reddere notauit WINSLOW l. c. n. 410.* Tubulosa nil est, nisi complexus *tubularum vriniorum* BELLINI, ex arteriis ortorum, vt flatus, arteriis immissus, suadet. Papillaris demum e tubulosa nascitur. Omnis itaque renum substantia vasculosa est. Quum etiam flatus ex arteriis renalibus in venas renales & ductus vriniferos usque ad vreteres, atque ex his in venas & arterias renales, demumque ex venis in arterias renales & vreteres transeat, ut in demonstrationibus anatomicis *Illustr.* BOEHMERI saepe vidi: patet, vasa renum sanguifera & vrinifera inter se inuicem communicare,

*pp*) *Illustr. de HALLER l. c. §. DCCLII.* Notauit iam BOERHAAVIUS (*Comment.*

*papillarum* quae impetrarunt nomen, adeunt et circumligant. Innumera-biles surculi, hinc enati, modo ad papillas redeunt, modo ad externam re-num superficiem progrediuntur flexuose, modo vero ipsam tunicam adip-o-sam perforant. Reflexi dein in exigua, densa et recta vascula abeunt, quae a fluido contento *vrinifera* vocantur, ex alia vero parte in venas, sensim maiores redditas, producuntur *qq*). Coniuncta dein sensim vasa vrinifera in fasciculos, capsula inclusos, *papillas rr*) constituentes, conuoluuntur, ha-rum-

ment. in *instit. med.* ad §. 352.) absque alio esse exemplo in corpore humano, adeo magnas arterias, vt renales, adeo cito in tam tenues & exiguo ramos abire, quam ii sint, quos arteriae renale emittunt, ramos enim, ex majoribus arcibus prodeunt, capillum crassitie non superare. Conspirare cum his videtur *EVSTACHII* sententia, ita enim l. c. *Cap. XVII.* de vasis renalibus loquitur: *suis propaginibus multi-formiter inuiicem coeunt & viuuntur, quae rursus in alios exiguo sur-culos divisa, per Remum substantiam capillorum modo dispersae tandem oblitae sunt.*

*qq*) Flatus, arteriis renalibus immisus, haec omnia demonstrat. Confer. quae not. oo. allata a nobis sunt.

*rr*) *Illiustr. de HALLER* l. c. §. DCCLIII. Decem, duodecim, tredecim & plures harum papillarum in quolibet rene plerumque adsunt, atque modo simplices, modo triplices, modo quadruplices visae sunt. *Illiustr. de HALLER* l. m. c. *WINSLOW* loc. c. n. 413. Testatur tamen *HEIS-TERVS* l. c. se faepius obseruasse, has papillas in omnibus non appare. De porulis vero, quibus papillae pertunduntur, deque fluido papillarum haec habet *WINSLOW* l. c. n. 414: *Au bout de cha-que Mammelon ou distingue menue sans Microscope dans un petit en-fouement plusieurs trous ou ouvertures fines, par où on voit sortir des gouttelettes, quand on presse les Mammelons. Ce sont des gouttelettes d'urine, qui étant filtrées en partie dans la Substance Medullaire ou Tubulaire, passent ensuite par les Filieres des Mammelons, & sortent par ces petites ouvertures.*

rumque papillarum tota conuexa superficies, porulis pertusa, fluido adato aditum concedit. Inuoluera papillarum cauos formant tubos, quorum plures confluentes tres trunco, in vnum demum, quem *peluim* dicunt, conspirantes, emitunt. Peluis demum in vnum, longum abit canalem, quem *vreterem* nominare solent ss).

## §. XIV.

ss) *Illiſtr. de HALLER l. c. & §§. DCCLIV. DCCLVI. WINSLOW l. c. & seqq. num.* Vera haec renum structura post iniectiones *Ruyschianas* inuentas plenius demum innotuit. Ante eas, anteque etiam maxi-  
mi glandularum fautoris, *MALPIGHII*, tempora, eorundem structura glandulosa putabatur. *HIPPOCRATES* iam renum substantiam inter glandulas collocat. Vid. *LAVRENTII Historia anatom. corporis humani Libr. VI. Cap. XXIII.* atque *EUSTACHIVS*, adeo famosus celebrisque Anatomicus, diu ante *MALPIGHIVM* viuens, renibus glandulas itidem assignauit. Hic enim l. c. Cap. II. renum substantiam bre-  
uiter describit, dicitque hanc esse, si sensus iudicium sequi volu-  
mus, *carneam, densam, admodum solidam, atque duram*. Notat dein,  
eandem inter glandulas a non paucis Auctoribus numerari, licet hi  
non eadem omnes ratione moti glandularum nomen Renibus attri-  
buant. Tandem, postquam varias Auctorum hac de re sententias  
attulit, haec adiicit: *Ego laryngis glandulas potius, quam testes ac  
mammias, ad Renum substantiam proxime accedere aſſeuero; hi enim  
neque fungosi & albi sunt, vt mammae, neque laxi & molles, vt te-  
ſtes.* Glandularum praeterea nomen alias etiam ob cauſas eis attribui  
poſſe credo, habent enim & renes glandulas, alias quidem exterius  
elatiōri eorum ſedū haerentes, quas caeteri Anatomici inconſiderate pree-  
termittunt, alias vero in eorum substantia elegantissime exſculptas, quae  
quidem in exteriori atque interiori quorundam animalium parte, cuius-  
modi *Virſi* ſunt & *Boues*, perſpicue cernuntur; unde fit maniſtum,  
Renes ex pluribus particulis cogmentatos eſſe, & ex multis quaſi glan-  
dulis conflatos: in plerisque vero aliis animalibus, veſti in hominibus,  
in intima tantum ſede Renum quaſdam partes & processus ab eorum  
carme

§. XIV.

*In renibus secernitur vrina.*

Arteriae renales satis capaces ita a trunco aortae descendente, non multum a corde distante, exoriuntur, ut cum aorta angulum efficiant acutum, dein flexuosos valdeque tenues forment ramos, tandem vero in rectos, exiguos et densos ductus secretorios mutentur (§§. XII. XIII.) tt). Eadem itaque

*carne extuberantes obseruamus, qui substantia, figura & officio, glandularum naturam elegantissime emulantur.* MALPIGHIVS dein, qui glandulas maxime ornavit, iisdemque maximam in corpore humano dignitatem adscripsit, renibus eriam dedicat substantiam glandulosam, quem viscera esse secretoria cognoverit. Hunc omnes sequebantur & Anatomici, & Medici, interque hos eminent praeprimis Magnus BOERHAAVIVS, strenuus ille MALPIGHII contra RYSCHEIVM defensor! Postquam autem, post fata adhuc venerandus, RYSCHEIVS artem inuenierat, qua mortuam partem in viuam quasi redigere valebat, per subtilissimas demum injectiones comperit iisdem visceribus, quae pro glandulosis venditauerat MALPIGHIVS, interque haec renibus quoque, vasculosam structuram adscribendam esse, licet ipse RYSCHEIVS dubius primo haeserit, quid de rotundis istis renum corpusculis statuendum sit? Qui plura hac de re scire cupit, & quae in utramque partem ideo inter celebres Viros disputata sunt cognoscere, adeat ille potissimum *Comment. in inst. med. BOERHAAVII*, Epist. BOERHAAVII superius cit. & huic adiunctam RYSCHEIV epist. responso, atque *Illust. de HALLER Element. Physiol. corpor. human. Tom. II. Libr. VII. Sect. II.* Eos vero, qui ex celebri obseruatione LITTRII de renibus foetus vesiculosis, renum substantiam in statu secundum naturam vesiculosam certe probatam & demonstratam esse credunt, refutauit HEISTERVS I. c. not. 78.

tt) *Illust. de HALLER I. c. Sect. III. §. XXVII.*

itaque secretioni fluidi aquosí, salini, terra paucoque oleo impregnati, inferire debent (§. IX), quod, in renibus secretum, *vrina* vocatur *uu*).

## §. XV.

*uu*) *Illustr. de HALLER l. c. & prim. lin. physiol.* §. DCCLV. Ipse sanguis arteriarum renalium magis aquosus & salinus iam reperitur. Vid. RIDEVX l. c. Secretioni itaque vrinæ cum destinati sint renes maximæ sane sunt utilitatis. Sola id suader suppressio vrinæ diuturna. Quam misera, quam lugenda sunt symptomata inde prouenientia! Quomodo ergo vñquam potuerunt homines, quid? Philosophi & Medici exsistere, adeo in Deum iniurii, vt vsu esse renes destitutos arbitrati sint? Sed mira etiam sunt, quae de secretione finixerunt varii Auctores. Alii eandem primariam renum utilitatem, alii secundariam tantum dixerunt, vt ARISTOTELES, credens, renes ideo pri-mario adesse, vt venas continerent & stabilirent, atque hinc per se constructos esse. Alii vrinæ secretionem per solam expulsionem, alii per solam attractionem, alii, vt ERASISTRATVS, ob vacui fugam fieri contendebant. Nonnulli a venis secretionem deducebant, alii eam glandularum ope per arterias fieri & contingere dicebant, alii denique, vt BOERHAAVIVS, *Ruyshianæ* tunc & *Malpighianæ* sententiae conciliator, eandem tam a glandulis, quam a vasculis perfici autumabant. Mittimus haec aliaque similia figura, quum eorum refutatio nimis nunc facilis sit. Speciosius tamen est id, quod de secretione vrinæ stabiluit MORIN. Is enim, obseruans, aquas minerales tam cito eliminari, vrinam ab vsu Tincturae Cassiae nigrefere, & aquam, ventriculo infusam, ex tota huius superficie post aliquod tempus stillare, inde conclusit, receptam hactenus vrinæ viam non vnicam esse, sed potus assumti portionem, e ventriculo statim sudantem, a patulis vesicæ vrinariae osculis recipi, reliquam vero demum, sanguini adfusam, consueto modo ad arterias renales ferri & vrinæ huius secretioni inferire. Ex stabilito hoc de vrinæ secretione systemate multa phaenomena explicavit, quod non inuita Minerua fecisset, si veram supposueret theoriam. Vid. haec pluribus in *Hist. de l' Academ.*

## §. XV.

*Largior vrinae secretio a copia arteriarum renalium maiori.*

Quodsi ergo arteriae renales, reliquis manentibus, maiori in copia ita praesentes sint, vt eartim, simul sumtarum, capacitas ordinariarum capacitatem excedat: necesse tum erit, vt largior vrinae secretio contingat (§§. XIV. X.). Ergo constat, quod in subiecto, cuius in Praefatione mentio facta est, largior vrinae secretio locum debuerit obtinere vv).

## E 2

## §. XVI.

*l Academ. Roy. des Sciences a. 1701.* Tam grauia vero sunt, quae huic sententiae opposuit argumenta *Illustr. de HALLER* in *prim. lin. physiol.* §. DCCLVII, vt eandem recipere nefas foret. Vnicum tantum adiiciam momentum, quod ab aliis omissum esse reperio. Ponamus verum esse, quod etiam negari non posse credo (*KAAV* de Perspirat. *HIPPOCRATI* dicta n. 563. seqq.), quod potulentorum assumitorum pars e ventriculo fudet in cavitatem abdominis: saltum tamen in demonstrando commisit doctissimus *MORIN*, statim exinde concludens, eandem ferri ad vesicam vrinariam debere. Nonne vbiique sunt vas a resorbentia in cavitate abdominis? nonne viscera omnia per porulos tenuerunt imbibunt fluidum? Licet ergo fluidum quoddam e ventriculi poris in abdominis cauum stillet; attamen id ipsum ab aliis potius vasis resorbentibus, quam a porulis vesicae refumi potest, idque eo magis valet, quo tutius assumere possumus, oscularum resorbentium, in abdominis cauo visceribusque abdominalibus praesentium, copiam, eam porolorum quantitatem, quam in vesica recipere licet, longe superare, quoque cerius est, quod illa & minus, quam hi, resistant, & a fluido resumendo proprius absint. Color vrinae, a Tinctura Cassiae inductus, nihil sane demonstrat. Vnica enim arramenti guttula sat magnam aquae copiam suo imbuit colore.

vv) Conf. hic, quae not. aa. diximus. Ex sola maiori copia arteriarum in uno latere non statim colligi debet, maiorem & largiorem fieri

se-

## §. XVI.

*Delatio vrinae ad vesicam eiusque dein facta excretio.*

Vreter (§. XIII.) descendit per psoam, trans magna vasa iliaca, in pelvum venit, retro vesicam vrinariam, et in coniunctione partis descendentes vescae cum transuersa, oblique inter carneas fibras nerueamque tunicam, et inter istam et villojam, longe introrsum descendit, atque reserto lumine aperitur *ww*). Quum in renibus vrina fecernatur (§. XIV.), idque per vasa (§. cit.), cum pelui et vretere communicantia (§. XIII.), motusque sanguinis continuus iam secretam vrinae portionem semper vrgeat ulterius: sequitur, vrinam, in renum vasculis sensim separatam, demum ad vreteres atque hinc ad vesicam, ideo *vrinariam dictam*, protrudi ibique colligi *xx*). Verum vesica vrinaria scatet ubique vasculis resorbentibus *yy*), tenue tantum fluidum resumentibus. Collecta itaque in eadem vrina, cum

secretionem vrinae, licet quoque capacitas arteriarum praesentium, simul sumtarum, naturalem supererit capacitatem. Id enim, quod vni accessit, alteri rerum decedere potuit. Atque hinc etiam diuidari potest, cur, praesente quacunque caussa, vrinae secretionem in uno rene vel impediente, vel plane sufflaminante, ren alter capaciora plerumque habeat arteriosa & venosa vasa? Sanguinis enim maior copia latera arteriac & venae sani renis continuo vrget & distendit. Vnde demum maior nascitur diameter horum vasorum.

*ww) Illustr. de HALLER I. c. §. DCCLVI.*

*xx) Sunt, qui valuulas in vreteribus admittunt, atque id ideo praeципue, quoniam, si desierent, vrina facile redeat & retropellatur. Repugnat vero huic sententiae, praeter Anatomiam (Illustr. de HALLER I. m. c.), insertio vreteris in vesicam ita comparata, ut hac ipsa regressus vrinae satis superque impediatur.*

*yy) Multa ideo experimenta fecit Abrah. RAVV, in saepius cit. Tract. de Persp. HIPPOCRATI dicta allata.*

falinum sit fluidum (§. XIV), acrior euadat necesse est. Irritabilem tunc vesicam zz) valde sollicitans efficit, vt motus quasi quidam peristalticus in vesica producatur, quo, agente scilicet sat forti tunica musculari, deorsum premitur vrina. Pondus simul accedens et stimulum auger, et alias etiam partes in consensum rapit. Atque sic vrina, stimulans et premens, motumque diaphragmatis atque muscularum abdominalium pressionem excitans, sphinctere superato, in canalem, vesicæ continuum, *vretbram* puta, vrgetur, huiusque ope eliminatur et excernitur a).

## §. XVII.

*Largior vrinae excretio a copia arteriarum renalium maiori.*

Multitudo arteriarum renalium, capacitate sua naturalium capacitatem exsuperantium, largioris vrinae secretionis erit caussa (§. XV.). Verum vrina fluidum est excrementitium (§. anteced.). Ergo eiusdem largiorem secretionem, largior etiam, caeteris manentibus, subsequi deber excretio (§. XI.). Hinc subiectum, quod in Praefatione descripsimus, largiorem debebat vrinae excretionem pati. Quod etiam experientia comprobauit, vti in eadem Praefatione iam monuimus b).

## E 3

## §. XVIII.

zz) *Illustr. de HALLER l. c. §. DCCLXIV.* Plura huius rei testimonia reperies in scriptis *Illustris Viri*, ad irritabilitatem & sensibilitatem partium Corporis humani pertinentibus.

a) *Illustr. de HALLER l. c. & §. DCCLXV.* Adduximus hic caussas, quae in statu naturali vrinae excretioni inferiunt. Generatim enim affirmari plane non potest, caussas recentias omnem vrinae excretionem caussari. Excerni omnino potest vrina sub paralysi vesicæ, muscularum abdominalium & diaphragmatis. Atque satis notum est, vleera saepe aliasque caussas efficiere, vt per mritis consuetas vias eliminetur vrina.

b) Nemo, credo, largiorem in hoc subiecto deprehensam vrinae excretionem

## §. XVIII.

*Largior vrinae excretio cum statu sanitatis comparatur.*

Restat adhuc, ut largiore hanc vrinae excretionem cum statu sanitatis comparemus, eiusdemque ad morbos varios respectum ostendamus. Ergo a simplici largioris vrinae excretionis idea eiusque effectibus erit incipiendum. *Largior* excretio generatim ea dici excretio debet, quia id, quod excernendum est, maiori in copia eliminatur, quam in plerisque subiectis fieri solet. Sic sudor copiosus, sic diarrhoeae species largior rem inuoluunt excretionem. Nunc vero constat ex primis Medicinae fundamentis, corpora hominum, quoad mutationes, in iisdem accidentes, valdopere differre, atque id ita etiam, ut, salvo in quolibet sanitatis statu, ingens haec obtineat diuersitas. Contingere itaque potest, et accidit quoque reuera saepe, ut eiusmodi differentia diuersorum hominum excretiones intercedat. Poterit adeoque largior vrinae excretio illaeso sanitatis statu adesse

tionem in plethoram reuicit. Multa enim dantur subiecta plethorica, quae tamen inde a plethora nullam largiorem experiuntur vrinae excretionem. Constat praeterea ex hoc spho, quaenam requirantur circumstantiae, ut a multitudine arteriarum renalium largior oriatur excretio vrinae? Non solum enim viae vrinariae liberae esse debent, sed capacitas quoque arteriarum inconsuetarum maior esse debet ea, quam arteriae renales solent naturaliter habere. Venas renales hac in re attendere generatim non opus est, licet etiam plures, quam naturaliter fieri deprehenditur, adfuerint. Suscipiunt enim eam tantum sanguinis quantitatem, quae post secretionem remansit, quod inter alia ex eo quoque patet, quod flatus ex arteriis longe facilius in ductus vriniferos, quam in venas, abire soleat. Copia itaque venarum renalium non videtur copiam sanguinis, ad secretionem vrinae renibus illatam, minuere, nisi forsitan cauffae quaedam adfuerint, transitum vrinae in ductus vriniferos impedientes,

adefse c). Sed consideremus etiam effectum huiuscemodi largioris vrinae excretionis. Notum scilicet est, quod, aucta quacumque excretione, alia, priori maxime similis, tanto in gradu imminuat, quanto illa aucta & copiosior facta est d). Verum sudor et perspirabilis materia maxime cum vrina conueniunt. Ergo, si largior euadat vrinae excretio, in tantum imminuat perspirationis et sudoris materiei eliminatio necesse est, in quantum vrinae excretio naturalem et consuetam exsuperat, nisi peculiares et morbosae id impediant affectiones. Quodsi itaque largior etiam vrinae excretio contingat; nihilo minus tamen status sanitatis perdurare poterit atque incolmis persistere. Perinde enim est, an aquosum et salinum principium, superfluum et corpori nocium, per sudorem excernatur, aut per vias vrinarias eliminetur corporique detrahatur. Quod, multoties ab experientia corroboratum, ostendit, *non omnem largiorem vrinae excretionem esse morbosam.*

### §. XIX.

*Confirmantur haec (§. ant.) per alia exempla.*

Neque desunt etiam alia exempla, quibus ea, quae §. anteced. dicta et demonstrata sunt, confirmari possunt. Dantur nimirum homines, in quibus aliae excretiones serofae multo largiores deprehenduntur, quam in

- c) Quid? quod sanitas saepe largiorem eiusinodi excretionem requirit, ut integra perdure. Pone enim subiectum serofum abundantem illum feri copiam per serofas excretiones non perdere. Nonne morbosum euadet?
- d) Latius quoque haec propositio extendi potest. Saepe non similes tantum excretiones per auctiorem aliam imminuantur, sed diuersae maxime. Diarrhoea curatur per auctam transpirationem, atque excedentes muci excretiones per productum largiorem sudorem compesci possunt. Pertinet huc etiam exemplum, quo constat, optima laxantia aluum non ducere, si sudor elicatur copiosior.

in aliis hominibus, optime nihilo minus valentes, abque omni morbo remoti. Quot enim sunt, quibus manus, pedes et loca sub axillis largius su-  
dant, idque absque salutis detrimento? Nonne idem de largiore vrinæ ex-  
cretione valebit? Nonne adhuc magis, quando nulla debilitas, sed sola vafo-  
rum, a naturali patillulum aberrans, structura caussam largioris vrinæ excre-  
tionis suppeditat?

## §. XX.

*Largior interim vrinæ excretionis morbosæ quoque esse potest.*

Non ita tamen haec omnia explicari debent, ac si omnem largio-  
rem copiosioremque vrinæ excretionem pro salutari minusque morbosæ ven-  
ditaremus. Quum enim vrina fluidum sit aquosum, salibus refertum (§. XIV.),  
aqua vero et salsæ sat potentes sint, quae in statu naturali resoluunt massam  
sanguinem, caussæ: sequitur, nimis largam vrinæ excretionem, vt pote  
quac nimium quantum aquam, fluidis nostris inexistentem, corpori detra-  
hit, tandem massæ sanguineæ, hinc fluidis quoque, inde prouenientibus,  
statum, congruae eorumdem resolutioni oppositum, inducere. Iste vero  
status, resolutioni e diametro oppositus, spissitudinem et viscitudinem inuol-  
nit. Nimis itaque larga vrinæ excretionis spissa et viscida reddere valet flu-  
ida. Quanta autem inde morborum truculentorum cohors originem suam  
sumit! Plethora, motus languescens, stases, obstructiones, impeditæ excre-  
tiones aliae, congestiones, extravasationes, tumores, sanguificatione, cum dige-  
stione et chylificatione, laesa, plurimaque alia mala propullulant inde & de-  
rinantur. Tantum ergo abest, vt largior quaelibet vrinæ excretionis cum sa-  
nitatis statu conspiret, vt potius exsistat, quae tales corpori nostro mutatio-  
nes inducit, vnde maxima ipsi mala suboriri possunt.

## §. XXI.

*Morbi quidam benigne solvuntur ob largiorem vrinæ excretionem.*

Largior vrinæ excretionis contingere nequit, nisi eiusdem largior pre-  
gressa fuerit secretio. Largior autem fluidi cuiusdam secretio procul du-  
bio

bio requirit, vt cauſa quaedam adſit, partem secretoriam ita disponens, vt ſanguis, copiosius adfluens, copioſorem fluidi efficiat ſeparationem. Sub omni ergo largiore vrinae ſecretione, hinc eriam excretionē vrinae largiore, ſanguis maiori in copia adfluens ad renes. Eiusmodi vero diſpoſitione benigne ſoluit ſaepe *empyemata, febres, alioſque morbos, ex acrimonia et abundante aqua in corpore humano ſubnatos.* Poterunt ergo omnino va-rii morbi ob largiorem vrinae excretionem benignè ſolui et naturae vi curari.

## §. XXII.

*Diabetis origo ab iſta diſpoſitione.*

Rarus admodum eſt morbus, quem *diabeten, hydropem ad matlam, immo diarrhoeam in vrina nominant Medicis* e). Omnes tamen, li- cet ſat intricate ſit eiusdem theoria, in eo conueniunt, eum cauſas, ad largiorem vrinae ſecretionem determinantes, ſupponere; et forſitan non adeo improbabilis eſt celebrium quorundam Pathologorum ſententia, qua ſtatuum, diabeten nil aliud eſſe, quam peculiarem laeſionis viſcerum ſolu-tionem, ob maiorem et validiorem in rebus diſpoſitionem, haec potius, quam alia viſcera adſfigentem. Quidquid interim ſit diabetes, certum ta-men eſt, omne ad eundem diſpoſitionem, quod efficit, vt fluida magis ad renes ruant. Largior ergo vrinae excretio, quam Pathologorum nonnulli *diabeten ſpurium* nominare amant, diſpoſitionem quandam ad diabeten in-digitat, ſi continuo obſerueretur perque notabile tempus. Quum vero haec a multitudine arteriarum renalium ſubnaci queat, vt in ſuperioribus oſten-dimus: colligimus inde, copiam arteriarum renalium maiorem ad diabeten diſpoſitionem poſſe.

## F

## §. XVIII.

Confer. Celeberr. KRATZENSTEIN *Theoria Fluxus diabetici eiusque fa-nandi methodus more geometrico explicata.* Halae 1746.

## §. XXIII.

*An multitudi arteriarum renalium, largiorem vrinæ excretionem producens, caufa effe queat, renes ad morbos sanguineos disponens? inquiritur.*

Multitudo arteriarum renalium, largiorem vrinæ excretionem producens, ideo hanc tantum producit, quoniam maior sanguinis copia ad renes inde deriuatur. Quando autem ad partem quandam corporis humani quantitas sanguinis, consueta maior, deducitur, morbi inde sanguinei, statim v. g. obstruktiones, inflammations et alii, oriri possunt. Quamobrem multitudo arteriarum renalium, quae caufa est largioris vrinæ excretionis, renes ad morbos sanguineos disponit.


## §. XXIV.

*An eadem ad calculum renum disponat? dijudicatur.*


Calculi renum duplex in corpore humano obseruatur caufa. Prima est materia purulenta, vel nata in renibus, vel ab aliis partibus ad renes delata. Altera est depositio particularum terrestrium, facta in ductibus vriniferis. Quod ultimam hanc calculi renalis attinet cauffam: ea vix a sola illa, quam diximus, arteriarum renalium multitudine oriri potest, quum huius in depositionem terrae, in vrina latentis, nulla sit potentia. Quod vero priorem spectat: ad eam omnino haec arteriarum renalium multitudo disponere mihi videtur. Pus enim in renibus ab inflammatione subnasci potest. Verum ad hanc concipiendam multitudo arteriarum disponit (§. anteced.). Nonne itaque ideo erit caufa disponens ad calculum? Materia praeterea purulenta ab aliis partibus ad renes deducitur, quando cauffa in renibus haeret, quae efficere valet, ut fluida ad renes magis dirigantur.

Atqui multitudo arteriarum renalium, de qua loquimur, hoc quoque cauffatur (§§. XXI. XXII.). Ergo ideo etiam ad renales disponit calculos.


T A N T V M.



*Gründler ad na*



Gründler ad nat. del. et Jc. Halae.





FIGVRA

T A B V L A E

SISTIT PARTEM AORTAE ET CAVAE INFERIORIS VNA CVM  
RAMIS; PRAECIPVE VERO ET VARIAM, ET INCONSTANTEM VA-  
SORVM RENALIVM DIRECTIONEM EXHIBET ET RE-  
PRAESENTAT.

- A. Truncus aortae descendens.
- B. Vena cava inferior.
- C.C.C.C. Renes, secundum longitudinem dissecti.
- D. Ren succenturiatus sinister.
- E. Arteria mesenterica superior.
- e. Arteria mesenterica inferior.
- F.F.F.F. Quatuor arteriae renales, diuersae diametri et longitudinis,  
quarum superiores, parum a mesentericæ superioris ortu di-  
stantes, lateraliſer ex trûco aortæ descendentे originem suam  
sumunt; inferiores vero infra mesentericam arteriam inferio-  
rem e latere praedictæ arteriae prouenient; omnes autem fle-  
xuosa direktione ad renis dextri scissuram, partim integris,  
partim diuisis ramis, supra et infra venas socias progrediuntur.  
Conf. Praefat.
- G. Arteria renalis sinistra, subdiuisis ramis ad renem eiusdem late-  
ris tendens, emissâ sub itinere tam
- H. Notabili capaciori ramo supra venam sociam peluimque ad in-  
feriorem huius renis extremitatem excurrente, quam

I. Mi-

- L. Minori et consueto, arteriam atrabiliariam inferiorem constitente.
- K. Arteria atrabiliaria superior, e diaphragmatica orta.
- L. Arteria spermatica dextra.
- M. Arteria spermatica sinistra.
- N. N. N. Arteriae lumbares.
- O. O. Divisio aortae in arteriam iliacam dextram et sinistram.
- P. P. P. Tres venae renales diuersae capacitatis e dextro rene partim infra, partim supra arterias socias flexuose ad venam cauam excurrentes. Vid. Praefat.
- Q. Vena renalis sinistra amplissima, ex confluxu trium ramorum orta, infra mesentericam superiorem supra aortae truncum ad cauam tendens et
- R. Venam atrabiliarium recipiens.
- S. Venae spermaticae in venam renalem sinistram inserentes.
- T. Vena spermatica dextra.
- V. Vrteres abscessi.
- W. Pelues vrterum.



Ua 4235

ULB Halle  
001 500 996

3



sb



**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres

DISSESSATIO INAVGVRALIS ANATOMICO-MEDICA

DE

**VRINAE  
SE-ET EXCRETIONE  
OB MVLITITVDINEM  
ARTERIARVM RENALIVM LARGIORE  
CASV QVODAM SINGVLARI ILLVSTRATA.**

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS DECRETO

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. FACVLTATIS MEDICAE  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE  
IMPERIAL PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET  
PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PRO

**G R A D V D O C T O R I S**

AD DIEM XVIII. IULII A. O. R. C<sup>15</sup>I<sup>16</sup>CC LXIII.

**I N R E G I A F R I D E R I C I A N A**

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

**C A R O L V S H E N R I C V S M E V D E R**

DRESDENSI.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.